

tionem iniurie ipsum condemnant quod in combustione funeris ipsum debeat cum instrumentis & seruatoribus & alijs ut dictum est secundum mores eorum festo alacri honorare. Et hec erit maior causa quare ille se suspenderit videlicet ut iste diues & potens ipsum honoraret in morte ad hoc ut in alio seculo sit similiter honoratus ita quod consuetudinem hanc conseruant/ Item si debeant inter aliquos sponsalia celebrari. examinatur per eorum astrologos si futuri sponsus & sponsa sint sub concordibus nati planetis nec ne. si sub concordibus matrimonium consumatur si sub con[tra]rijs conturbatur/ In ista quidem ciuitate Qinsay est regale palatium quod fuerat regis facfur dominj prouincie manci quod est pulcrius & nobilius est aliquo quod reperiatur in mundo de cuius facturis dicemus. circuit enim palatium istud bene miliaria sex de terra est itaque altis muris ualatum & intra muros sunt multa pulcra uiridaria omnimodos producentia bonos fructus. sunt & ibi pulcri fontes. | & lacus quam plures in quibus inueniuntur in habundantia 45<sup>o</sup> boni pisces. & in medio istius muri est palatium ualde pulcrum & magnum. In eo est quedam magna sala magistra in qua simul discumberent multe gentes. sala ista depicta est tota aureis picturis/ ubi sunt ystorie diuerse bestie. aues. milites & domine cum multis mirabilibus quod est pulcer intuitus ad uidendum quoniam in toto muro & omnibus coperturis non posunt uideri nisi solummodo ystorie colorate auro & alijs coloribus delectabilibus & pulcris/ palatium istud multas habet salas omnes spatiosas & pulcras depictas ad aurum & subtiliter laboratas. habet insuper cameras bene mille & est mirabile quid esse istius palatij/ ibi est solummodo una ecclesia xpistianorum nestorinorum/ Item in prouincia manci quasi omnes gentes pauperes & ege ne filios uendunt & filias alijs diuitibus & nobilibus ut pro eorum precio se ualeant substinere & filij cum illis uberius habeant unde uiuant/ In ciuitate Quinsay examinatum est quod die qualibet pro eius usu xliij saume piperis expenduntur & quelibet sauma ponderis est librarum ccxxij ergo considerare potestis ex hoc quot sunt alie species que ibi expenduntur & etiam ad uniuersas expensas quot necessaria requiruntur dicimus de quodam miro quod accidit cum bayan erat in obsidione ciuitatis istius videlicet quod cum rex fucfur a facie eius fugit multitudo gentium ipsius ciuitatis in nauigio fugiebat per quoddam maximum flumen latum & profundum quod transit ab uno latere ciuitatis & dum sic per flumen istud fugerent ipso instanti fuit| aqua totaliter 45<sup>o</sup> desiccatum. ita quod bayan hoc inteligens adiuit partem illam & omnes fugientes ad ciuitatem redire coegit. & inuentus fuit piscis unus iacens in sicco per transversum alueum fluminis qui erat quid mirabile ad uidendum. Nam longitudinis erat bene pasuum centum. grossitudo uero minime longitudini respondebat pilosus quidem erat totus & multi de ipso comederunt & multi ex ipsis perierunt